

ES THEOL.
MUSEI



Dies muß 11

18.

3. N. 3.

DISPUTATIO THEOLOGICA.

De

BONIS OPE-
RIBUS,

Quam

A. D. O. M.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PL. REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI

DN.

SEBASTIANI NIE-
MANNI, SS. THEOL. D. & Prof.

PUBL. DN. Patroni ac Præceptoris ætatem
colendi

In Illustri Academia Salana

Publico Eruditorum examini sistit

LUD. CHRISTOPHORUS Engelbrecht

Francohusa - Thuringus

AUT. & RESP.

Ad diem Julij Anno M. DC. LXV.

In Auditorio Theologorum

Horis consuetis

JENÆ,

Typis JOHANNIS WERTHERL



DISSECTATIO THEOLOGICA

BONAE OPE

LIBELLUS

U. D. M. ...
S. P. ...

...

...

Prof. ...

...

...

...

...





PROŒMIUM.



Uamvis nobis satis constet, hominem solâ fide in Christum salvari: Ecclesiæ tamen nostræ subinde etiam hoc inculcant, Deum non velle renatos & iustificatos ociosos esse sine B. operibus. Consentit ipsa etiam scriptura Sacra, quæ Bonorum operum studium in renatis & iustificatis non tantum consulit, nec ut rem indifferentem aut arbitrariam proponit, sed tradit necessarium esse propter voluntatem & mandatum Dei, annuente Paulo Rom. II. 12. *Debitores sumus, non ut secundum carnem vivamus.* I. Thess. IV. 3. *Hac est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Fidem, quæ non est efficax per charitatem rejicit Jacobus c. II, 22. quando inquit: *fides sine operibus mortua est.* Morigeris ac iis, qui in studio Bonorum Operum se exercent, proponit præmia tam spiritualia quam corporalia, & in hac & in futura vita, I. Tim. IV. 8. *Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones & hujus & futura vita.* Hebr. VI. 10. *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, qua ministratis sanctis;* Transgressoribus verò comminationes pœnarum corporalium, spiritualium & æternarum, docente Christo Matth. III. 10. & cap. VII. 19. *Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur & in ignem conjicitur.* Psalm. LXXXIX, 33. *Si mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum.* Itaque nemo sibi in solitaria seu operibus casâ fide blandiri debet, putans hac fide se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, & Bona Opera, in quibus nos suo ipsius exemplo ambulare jubet, Matth. XI. 29. susque deque habeat.

beat. Quod ipsum postquam cum animo meo probè perpendi, præ cæteris materiam hanc in exercitium Academicum selegi, ea imprimis, quæ circa illam communiter occurrere solent, propositurus, ac orthodoxam sententiam contra adversarios, præsertim verò Pontificios ea, qua fieri potest, brevitate, defensurus. Sed cum ardua res sit, cui accuratè pertractandæ vires meæ non respondent, ad Deum convertus ingemisco:

Adspirent votis prospera fata meis!

§. I.

ANtequam ad rem ipsam accedamus, de *Bonorum Operum* nomine, quod in ipsa Scripturâ Matth. V. 16. Eph. II. 10. & alibi occurrit, nonnulla præmittenda veniunt. *Opera* ab operando originem trahunt. *Bona* verò à bonitate dicuntur, quæ ipsis inest.

§. II. Quemadmodum autem voces separatæ: *Opus* & *Bonum* aliter atque aliter accipiuntur, ita & voces conjunctæ five constructæ: *Bona opera* latæ sunt significationis, nec idem semper denotant. Ne enim de eo nunc dicam, quòd & effectus à Deo, Natura aut Arte producti ob perfectionem sibi inesse debitam, quam habent, *bona opera* dicuntur; Etiam si per *opera*, operationes tantum hominis, ut liberè operatus, intelligas, ut omnino hoc loco intelligere fas est; tamen ne sic quidem *bona opera* uno semper modo accipiuntur.

§. III. Interdum enim opera illa in se tantum & quoad substantiam actuum considerantur, quatenus scilicet sunt opera legi Dei conformia, *ἡ τὸ νόμος*, Rom. II. 14. Et sic etiam infidelium opera, quæ secundum dictamen rectæ rationis five secundum legem cordibus suis inscriptam faciunt, *Bona opera* vocari possunt. Sane Lutherus ipse in *Unterichte auff etliche Artikel*. Tom. I. Jen. Germ. f. 166. ea vocat *die guten Werck / die auffer der Gnaden Gottes geschehen*. Et Leonh. Hut-
terus in *Explic. F. C. art. IV. p. 411.* inquit: *De ipsorum (Gentilium) etiam virtutibus verè pronuciare possumus, quod fuerint verè bona opera, sed tantum quoad substantiam facti*: Interdum verò considerantur non tantum quoad sub-
stantiam

stantiam actuum, sed & ratione principii, à quo proficiscuntur, ratione finis & aliarum circumstantiarum. Et sic sola renatorum opera in scholis Theologorum *bona opera* dicuntur. *Necesse est enim, ut persona Deo antea placeat, idque propter solum Christum, si modo persona illius opera Deo placere & accepta esse debent.* Quare eorum operum, quæ reverà bona sunt, & Deo placent, quæ etiam Dominus tum in hoc tum in futuro seculo vult remunerari, mater & fons est *IPSA FIDES*: unde & veri fructus fidei, sicut & fructus Spiritus à D. Paulo appellantur, inquit Formula Concordiæ in solida declar. art. IV. p. 700. 701. Et posteriori hoc sensu terminum *bonorum operum* hoc loco nos accipimus: agimus enim hîc de bonis operibus non quorumcumque, sed renatorum & justificatorum, qui per fidem in Christum reconciliati sunt cum Deo.

§. IV. Cæterùm nomine *operum* communiter intelligi solent *opera externa* & in sensu incurrentia. Sed nos hoc loco latius accipimus, non solum pro externis, sed etiam *internis actionibus*, quæ bonitatis moralis capaces sunt, cordis nimirum affectibus, mentis cogitationibus &c. B. Gerh. Loc. Theol. Tom. IV. L. de B. O. §. 3. *Vox operis*, inquit, *in schola Spiritus S. non de externis solum, inq; oculos incurrentibus actionibus, sed etiam, de internis affectibus cordis & motibus voluntatis, & deo que de tota renatorum obedientia accipitur: appellatione enim Bonorum Operum, Scriptura complectitur etiam renovationem, interiorum bonam voluntatem, bonam conscientiam.* Vid. B. Mentz. Exeg. A. C. art. VI. de B. O. p. m. 206.

§. V. *Bona autem Opera*, de quibus nunc nobis sermo est, aliàs in Scripturis simpliciter & κατ' ἐξοχήν *opera* appellantur. Rom. III. 27. c. IV. 2. 6. Jac. II. 14. 18. sqq. *opera legis*, Rom. III. 28. Gal. II. 16. *opera cū Jēſū facta* Joh. III. 21. ἀξιαίης μετ' ἐνοίας ἐργα Act. XXVI. 20. item metaphoricè *fructus boni*, Jac. III. 17. *fructus qui decent pœnitentiam*, Matth. III. 8. *fructus spiritus*, Gal. V. 22. Ephes. V. 9 *fructus justitiae*. Phil. I. 11. Ut enim boni fructus nascuntur ex bona arbore: Ita quoque *Bona opera* ex fide justificante velut salutare fructus procedunt. Alia Synonyma vide passim apud Theologos.

§. VI. Variis modis Bona Opera ab Autoribus distingui solent. Et ut alias distinctiones nunc præmittam, *ratione ipsius operis* quædam dicuntur *interna*, quædam *externa*. *Interna* sunt interiores mentis cogitationes, voluntatis motus cordisque affectus boni. Ista cum intus lateant & sub hominum sensus non cadant, ideo dicuntur interna opera, & solius Dei oculis sunt obvia, ut sunt dilectio, timor Dei, fiducia erga Deum. &c. *Externa* autem cum per exteriora verba & actiones externas fiant, ideo in sensus hominum incurunt. Utraque opera autoritate & mandato divino non destituuntur: Christus enim ipse dicit Luc. VI. 54. *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis profert mala.* I. Joh. III. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

§. VII. Deinde *ratione bonitatis* quædam Bona opera sunt talia *per se*, quædam *per accidens*. *Per se bona* sunt omnia, quorum oppositum est per se malum, atque hæc in Decalogo comprehensa sunt, & ratione objecti duplicis, creatoris scilicet & creaturæ, rursus subdividuntur, quod quædam immediate Deum, quædam homines respiciant. Illa in prima, hæc in secunda Decalogi tabula præscribuntur. Hac divisione etiam ipse Christus utitur Matth. XXII. 37. 38. 39.

§. IIX. Bona opera per se talia, absolute & simpliciter sunt bona, & sicuti *cuius homini*, ita in specie omnibus renatis planè sunt necessaria, adeo ut si quis verà fide præditus, & remissionem peccatorum in sui conversione consecutus sit, postea autem in studio ac studio Bonorum operum se non exercent, nec mala fugiat, sed secundum carnis concupiscentias vivat, quæ in sui regeneratione ac renovatione adeptus est, fidem nempe & Spiritum Sanctum oppidò amittat, & nisi resipiscat, æterna tandem salute prorsus excidat, teste Paulo Rom. IIX. 13. Hæc enim expressè & immediate in lege morali sunt præscripta.

§. IX. *Per accidens* autem bona, si in se & nudè spectantur, *indifferentia sunt*, bona tamen fiunt vel *ex intentione agentis vel ex voluntate legislatoris, vel ex alia quadam circumstan-*

cumstantia. Et hæc opera possunt etiam factu necessaria reddi, si nimirum contingat, ut certis de causis vel à Deo, vel à legitimo Magistratu mandata sint, nempe iis, quibus præcepta sunt. Hæc enim opera mediata & per consequentiam in lege morali sunt præcepta, eique conformia sunt. Huc possunt referri omnia illa, quæ ad præscriptum legum positivarum suscipiuntur, si rectè illæ leges se habeant, nec morali legi adversentur.

§. X. Ista verò opera, quæ naturâ suâ ita sunt indifferentia, ut nulla lege neque immediatè neque mediata sint præscripta, ea, etsi vel ex intentione agentis, vel ex alia aliqua circumstantia bona dici possunt, hoc tamen ipso quod indifferentia sunt, & nulla lege præcepta, ex se non sunt necessaria, sed arbitraria. Exemplum potest videri apud Matthæum. XXVI. 7. & Marc. XIV. 3. Hujusmodi opera quamdiu sunt & manent opera ex vera fide & infucata dilectione profecta, ratione intentionis bonæ, vel etiam ex aliis circumstantiis bona & laude digna sunt. Quamprimùm autem opinio cultus aut meriti accedit, bona esse desinunt, nec in arbitrariis amplius habenda, sed iis annumeranda sunt, quæ si non expressè, implicite tamen, & per consequentiam in lege prohibita sunt. Quò pertinent omnia opera electitiâ, & ἐθελοθρησκείαι in papatu, quæ utut bonitatis aliquam speciem præ se ferant, tamen vel eâ de causâ, quod cum opinione cultus aut meriti conjuncta sunt, rectè rejiciuntur, & annumerantur iis, quæ per consequentiam & mediata in lege prohibita sunt. Idem sentiendum est de operibus electitiis ac cultu Judæorum, de quibus vid. Esa. I. 12. Psalm. CVI. 36. sqq. Matth. XV. 9.

§. XI. Bona Opera à B. Gerh. l. c. §. ult. describuntur, quòd sint actiones renatorum tam interiores, quàm exteriores divinitus in lege præceptæ, efficacia Spiritûs Sancti, prælucente vera in Christum fide factæ hoc fine, ut honor & obedientia Deo præstetur.

§. XII. In hac descriptione actiones renatorum tam internæ, quàm externæ stant loco generis. Et in hoc ipso
B. ope-

B. opera cum cæteris veræ virtutis laudibus, quæ non tantum in cognitione, sed etiam operatione consistunt, conveniunt.

§. XIII. *Causa Efficiens* Bonorum operum est Spiritus S. & per ejus gratiam ipsi etiam renati. Spiritus S. enim non solum modum in verbo suo revelato præscribit, quomodo B. opera in sui honorem ac nostram salutem legitimè fieri debeant; Sed etiam interiùs hominem regenerando ac renovando mentem illuminat, voluntatem flectit, & ad omnis generis Bona opera impellit, viresque ea agendi suppeditat, Rom. IIX. 14. 15. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Et: Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba, pater.* Inde etiam Bona opera dicuntur *fructus spiritus*, Gal. V. 22. Alii quidem quando causam efficientem B. operum assignare volunt, absolutè ponunt, eam esse Deum. Sed hic nullus est dissensus: nam ut benè notat B. Gerh. l. c. idem est, sive dicas Spiritum S. sive Deum esse causam efficientem B. operum, siquidem Spiritus S. est unus & verus cum Patre & Filio Deus. Ideoque Spiritus S. disertâ mentione non excluduntur Pater & Filius, sed per appropriationem quandam tribuitur Spiritui S. quod est totius S. S. Trinitatis opus.

§. XIV. Ipsi autem renati non ex suis naturalibus viribus, sed per gratiam inhabitantis Spiritus S. faciunt bona opera. Illi enim sunt, qui *per Spiritum mortificantur*: Illi sunt, qui *per Spiritum adoptionis, quem acceperunt, clamant: Abba, pater*, Rom. IIX 13. 15. qui *serviunt Deo cum sanctitate & justitia cunctis diebus vite sue*, Luc. I. 74. 75. qui *crucifigunt carnem cum affectibus & concupiscentiis*, Gal. V. 24.

§. XV. Hinc patet, quòd B. opera ab homine nondum renato ac justificato *ex propriis liberi arbitrii viribus non possint effici*: Vel, ut habet Theologorum regula, quòd *Bona opera non precedant justificandum, sed sequantur justificatum*. Errant itaque Pelagiani, qui docebant, legem solam & per se posse ex viribus liberi arbitrii monendo, cogendo & coërcendo extorquere Bona opera verè talia. Sed benè ipsis respondet Augustinus: Si, inquit, lex sola agit cum voluntate non renata, etiamsi aliquid operum exprimat, fieri tantum exter-

externam quandam hypocrisin sine motibus interioribus verè spiritualibus. Quia verò lex spiritualis est, requirens conformitatem cordis & interiorum motuum cum lege divina; Ideò ut opus aliquod Deo placeat, non requiritur sola externa quædam in oculos incurrens actio, sed interior quoque obedientia, quâ homo *condelectatur legi Dei.* Rom. VII. 22. Talem vero conformitatem mentis & voluntatis in hac corrupta natura homo non habet, nec liberum arbitrium naturalibus suis viribus etiam lege adjuvante, efficere potest: Sed Spiritus S. donum & operatio est in renovata natura. *Humane vires sine Spiritu S. plene sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo rectè* inquit Aug. Conf. art. XX.

§. XVI. Fides etiam salvifica causa efficiens bonorum operum dicitur, quatenus scilicet charitatem, & mediante illâ cæteras virtutes Christianas impellit & excitat ad Bonorum operum exercitium, atque ita *per charitatem efficax est,* Gal. V. 6. Pertinent huc verba B. Lutheri in XVII. articulis, ex quibus Augustana Confessio postmodum concinnata est, art. VI. *Weil der Glaube ist ein frâßtiges/ neues/ lebendiges Wesen/ bringt er viel Frucht/ thut immer Guts/ gegen Gott/ mit loben/ danken/ predigen und lehren/ gegen dem Nächstten mit Liebe/ dienen/ helffen/ rathen/ geben und leihen und leiden allerley übelis biß in den Todt.* T. V. Jen. Germ. f. 15. Quibus adde verba Balthasaris Mentzeri b. m. in Exeg. Aug. Conf. art. VI. p. 261. *Et quia fides à Spiritu S. per auditum & meditationem verbi accensa est per charitatem efficax, Gal. V. 6. tanquam arbor fertilis & generosa bonos fructus profert, Matth. 7. v. 17. rectè etiam appellat D. Ambrosius fidem bonæ voluntatis & justæ actionis genetricem. Sicut Hebr. n. fides constituitur causa heroicarum virtutum in magnis illis viris, qui in V. T. præclaras res & salutares gesserunt.*

§. XVII. Forma sive ratio formalis B. operum consistit in congruentia eorum cum lege Dei, sicut eorum oppositi nempe peccati ratio formalis consistit in *avopia* sive carentia conformitatis cum lege. I. Joh. III. 4. Hinc est quod Deus in scripturis ad legem & mandata sua tanquam ad normam B.

B

ope-

operum nos ablegat. Deut. IV. 8. *Non faciat unusquisque quod in oculis ipsius rectum videtur, sed quod precipio custodietis, ut faciatis: non addes ad illud, nec minues ex eo.* Ezech. XX. 19. *Ego Dominus Deus vester, in preceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite & facite ea.* Per legem verò, cum qua B. opera congruentiam habere debent, non intelligimus quamlibet legem, sed tantum legem moralem, quæ in Decalogo est proposita.

§. XVIII. Solent & Theologi nostri nonnunquam fidem vocare formam bonorum operum, sed tunc considerant bona opera non in se & quatenus sunt bona & recta opera, sed quatenus sunt opera Deo specialiter placentia, & hoc tantum volunt, quòd fides faciat, ut bona reatorum opera Deo placeant eique grata sint & accepta, quòd fides sit ratio quasi formalis, à quâ bona opera habent hoc, quòd Deo placent complacentiâ speciali, juxta illud Hebr. XI. 6. *sine fide impossibile est placere Deo.* Hinc Albertus Gravverus p. m. *prælect. in A. C. part. VI. ad art. VI.* fidem dicit esse *quasi causam formalem* bonorum operum, & B. Meisnerus parte II. *Phil. Sobr. sect. 2. c. 2. q. 3.* ait, *fidem esse formam virtutum Theologicarum, magis tamen assistentem, quam intrinsecè informantem.* Idem in *Anthropol. disp. XXI. q. 14. n. 123.* scribit, fidem justificantem esse formam B. operum consideratorum, *non ratione quidditatis internæ, sed respectu externæ χάριτος, quatenus Deo placent.* Vide ipsos & alios mentem suam hâc in parte uberius explicantes.

§. XIX. *Finis B. operum est vel Principalis, sive ultimus, vel Intermedius ac secundarius. Principalis est Dei gloria, & quæcunque opera non respiciunt istum finem, pro verè bonis non sunt habenda.* Hoc testantur varia scripturæ testimonia. Psalm. CXV. 1. *Non nobis, non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.* Jerem. IX. 23. Philip. I. 11. *Secundarius B. operum finis respicit non tantum proximi salutem, ut nimirum nostris officiis pro virili ipsum juvemus, adeoque si res requirat, etiam animas ponamus pro fratribus,* I. Joh. IV. 21. Matt. XXII. 39; sed & nostram ipsorum. De quo videri possunt loca Rom. VIII. 13, 17. Eph. V. 11. II. Tim. II. 11. 12. Hebr. XII. 14.

§. XX.

§. XX. Ex hisce igitur pingui Minervâ prænотatis non tantum constat, quod B. operum studio sit incumbendum; Sed simul etiam illa, quibus navanda est opera, nobis ob oculos ponuntur.

§. XXI. Quod prius attinet, nempe B. opera esse facienda, hæc in re paucos adversariorum habemus contradicentes, nisi quod Pontificii falso ac injustè nos accusant, quasi nostras Ecclesias à studio B. operum abducamus, ac istud omninò damnemus; Imò insimulant nos, quasi in sola fide ita nobis blandiamur, ut existimemus, nos prorsus liberos esse ab observatione mandatorum Dei. Verùm quàm injustæ sint hæc adversariorum calumniæ, luce meridianâ clariùs patet ex *Aug. Conf. art. VI. Apol. Aug. Conf. p. 73. 85. 89. 97. 133. Artic. Smalc. p. 336. Form. Conc. p. 589. 590. 591. & declar. sol. p. 703.* ne nunc de privatis Theologorum nostrorum scriptis aliquid addamus. Hoc verò non aliam ob causam ab ipsis nobis affingitur, quàm quòd docemus, promissionē Evangelii de remissione peccatorum & vita æternâ non pendere ex meritò nostrorum operum, sed ex gratuitâ misericordiâ Dei, propter obedientiam & meritum Christi mediatoris. Item: nos non justificari aut salvari per opera, sed solâ fide. Hinc adversarii colligunt, mentem nostram esse, quòd justificati non teneantur ad observationem mandatorum divinorum, sed benè salutem æternam consequi possint, etiamsi studio B. operum non incumbant, quod tamen nemini nostratum unquam in mentem venit.

§. XXII. *Posterius* quod concernit; Quænam nempe B. opera sint facienda; habemus hîc Pontificiorum turbam nimium quantum contrariam. Nostra sententia est, ut in §. xvii. ostendimus, B. opera non esse, quæ ad quælibet commenta vel mandata hominum fiunt, qualia in Papatu sunt opera monastica, & cultus electitii, de quibus illud Christi valet: *Frustra me colunt mandatis hominum*, Matth. xv. 9. Sed debere ea esse accommodata ad normam divinam, quam Deus ut perfectissimam, in verbo suo, nobis servandam, proponit, uti imprimis est Decalogus, unde B. operum catalo-



gus petendus, expressè enim dicitur: *non addes quicquam, nec minues.* Deut. xii. 32. Prov. xxx. 6. Deut. v. 32. *non declinabis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Ezech. xlii. 21. *In preceptis patrum vestrorum nolite incedere, neque judicia eorum custodiatis. Ego Dominus Deus vester, in preceptis meis ambulate, & judicia mea custodite & facite ea,* Num. xv. 39. Rom. xii. 2.

§. XXIII. Pontificiis verò & omnibus istis, qui cultus electitios & ἐθελοθρησκείας sequuntur, nostra hæc in Scripturâ Sacra firmiter fundata assertio non arridet, ut errores eorum satis testantur. Non nostra autem tantum secula ejusmodi hominum feracia sunt; Sed tempore quoque Veteris Testamenti, parum ab hisce distantem hominum fecem, sinceram doctrinam obnubilantium extitisse, Prophetarum assidua & graves querelæ, contra eorum idololatricos cultus emissæ, nos docent. Isti autem Idololatræ hæc erroneâ imbuti erant opinione, quasi opus bonum sit Deoque placeat, quicquid bona intentione suscipitur, Exod. xxxii. 1. seqq. Quam exosa autem ista persuasio & perversa hominum opinio Prophetis fuerit; neminem eorum scripta intuentem latet. Clarè enim ostendunt, quòd non tantum isti cultus frustra Deo offerantur; Sed & cum illis Deo se servire putent homines, revera ipsi Diabolo serviant. Hinc sæpius Deus ejusmodi cultibus ad iram provocatus, ipsorum patronos ac autores ad miserrima pœnarum genera traxit. Impio deinde huic generi tempore quoque N. Testamenti adhuc virenti, Pharisæis nimirum & pseudoprophetis, opera à Deo non mandata cum opinione cultûs, justitiæ & meriti proponentibus, Christus & Apostoli omni nisu sese opposuerunt. Matth. xv. 6. Matth. xxiii. 23. Hæc tandem vitiosa labes per omnia secula ad nostrum usque se diffudit, in quo Pontificii primas ferè obtinent, qui opera sua indebita vano quodam nitore obducta, admodum commendant, jactitantes, se non solum per mandatorum Dei observationem legi divinæ sufficienter satisfacere, sed etiam opera indebita & supererogationis facere, quæ aliis communicare possint.

§. XXIV. Ne autem colore destitui videantur, quo
[ele-

electitia sua opera pingant pictaque nobis commendent. I.
Ita argumentari solent. Quicquid fit eo fine, ut Deo præ-
stetur honos & obedientia, est cultus Dei. At quæ bona in-
tentione etiam sine mandato Dei suscipiuntur, fiunt eo fine,
ut Deo præstetur honos & obedientia. E. Sed quis non vi-
det majorem hujus argumenti non esse simpliciter veram?
Quemadmodum enim aliàs ad actionem, ut moraliter bona
sit, non sufficit bonus finis, sed insuper requiritur, ut iste bo-
nus finis per bona ac legitima media acquiratur, ut docent
Ethici, ita etiam hîc ut aliquid sit cultus Dei, non satis est, ut
bono fine fiat, qualis hîc est Dei honos, sed requiritur quo-
que, ut sit medium legitimum & ad hunc finem ab ipso Deo
ordinatum. In solius enim Dei arbitrio positum est, quo-
modo â nobis coli velit, minimè vero in nostro arbitrio.

§. XXV. II. Adversarii pro sua sententia etiam hoc
facere putant, quòd non tantùm ista sacrificia, quæ ex man-
dato Dei offerebantur, in lege accepta fuerint, sed ista quo-
que quæ ex voto, vel spontaneo Spiritu in Dei honorem offe-
rebantur, uti patet ex Lev. vii. 16, cap. xxxii. 18. 21. Num. xv.
3. & alibi passim. Sed negamus ejusmodi sacrificia, quæ vel
ex voto, vel spontè Deo offerebantur, fuisse opera sine testi-
monio verbi Divini: Nam in lege Mosaica extant certæ
ordinationes de spontaneis oblationibus, quod fieri possint,
quomodo item, quibus conditionibus & ubi fieri debeant, uti
ex consideratione locorum adductorum liquet.

§. XXVI. Quod attinet locum Luc. x. 16. *Qui vos
audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, quem subinde pro
defendendis Ecclesiæ suæ mandatis crepare solent Pontificii,
is propriè intelligendus est de LXX. discipulis, quos Dominus
mittebat binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò
erat ipse venturus, ut patet ex v. 1. Interim tamen concedi-
mus, si quis alios Ecclesiæ Doctores ad exemplum LXX. dis-
cipulorum verbum Christi proponentes audiat, eum ipsum
in iis quasi loquentem Christum audire, & qui illos spernit,
eum ipsum Christum spernere. Inde autem non sequitur,
eos simpliciter in omnibus audiendos esse, etiam in iis, quæ

præter aut contra Dei verbum ex suo cerebro proferunt, nec sequitur, si quis hoc in casu eos spernat, eum ipsum Christum spernere. Stat enim Christi sententia: *Docete eos servare omnia, quaecunque præcepi vobis*, Matth. xxix. 20.

§. XXVII. Cæterum ex §. vii. constat, quod quædam opera, quæ per se bona diximus, non arbitraria, sive adiaphora, sed omni homini, in specie verò renatis planè sint necessaria, ita ut ille, qui eis operam prorsus non navat, æternâ tandem salute excidat. Cum verò dubia quædam circa vocabulum *necessitatis* se offerant, ideo paucis de eo dispiciendum erit, quia non uno modo ab Autoribus accipi solet. Considerabimus autem h. l. id tantum prout in Scripturis adhibetur; Aliæ verò significationes, quæ forsan in disciplinis Philosophicis, linguis ac artibus occurrere solent, ob instituti nostri rationem, sicco transeundæ sunt pede.

§. XXVIII. Utiliter autem monet B. Chemnitius l. c. *necessitatis* vocabulum juxta ductum Scripturæ *quatuor potissimum modis accipi*. Et (1.) quidem *pro eo, quod tanquam ad justitiam & salutem necessarium exigitur*. Act. xv. vers. 5. Gal. II. 16. cap. VI. 12. quomodo Pharisei & Pseudoapostoli vocabulum *necessitatis* urgebant. (2.) *necessitatis* vocabulum in quibusdam Scripturæ locis significat *coactionem seu involuntarium quid, quando vel ab invitis, vel ab involuntariis præter animi sententiam aliquid externi operis extorquetur, ut patet ex II. Cor. IX. 7. Non ex tristitia, aut necessitate*. Ad Philem. v. 14. *Ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum*. (3.) *Utitur Scriptura vocabulo Necessitatis, pro eo, quod non est adiaphoron, sive arbitrarium, sed debitum ratione mandati & voluntatis divine*. Rom. XIII. 5. I. Cor. IX. 16. (4.) *Sæpius etiam generaliter sumi solet in Scriptura pro necessitate consequentia, quam vocant immutabilitatis*. Hebr. VII. 12. cap. IX. 16. *Item pro eo, quod certas & graves causas habet, cur non sit omittendum, sed faciendum, ut Philip. I. 24. cap. II. 25. Necessarium existimavi, mittere fratres ad vos & c.* Nunc jure merito quæritur: quinam modi vocabuli *necessitatis* B. operibus convenient? Hoc ipsum docet B. Chemnitius l. c. dum dicit: *Vocabulum necessitatis & similia, qualia sunt: oport-*

portet, decet &c. quia non uno modo in Scriptura accipiuntur, non simpliciter proscribenda esse: Quando enim opera necessaria esse docentur ad justificationem, item quando necessaria esse docentur hoc sensu, quod licet fiant sine interioribus motibus Spiritus invito animo & repugnante voluntate, nihilominus coram Deo bona sint. Talem necessitatem Scriptura damnat. Sed duobus posterioribus modis Scripturam vocabulum *necessitatis* B. operibus tribuere, annuit B. Gerh. *l. c.* Hinc rectè nostrates docent, B. opera esse necessaria, eo scil. sensu, quo diximus, sumpto vocabulo *necessitatis*. Sunt autem multæ causæ, propter quas necessaria sint B. opera, & (1.) quidem, propter Deum. (2.) propter proximum, & (3.) propter nosmet ipsos.

§. XXIX. Quod ad Deum attinet, certum est, ipsum reconciliatis non dare vacantiam à mandatis suis, nec eam licentiam, ut liberè & securè ausint & possint suis cupiditatibus indulgere: Sed seria & perpetua ejus voluntas & mandatum est, ut in B. operibus ambulent, Lev. xi. 44. c. xix. 2. Esa. I. 17. *quiescite perversè agere, discite benè agere.* Sumus enim ipsius creaturæ, ipse verò creator & conservator. Nos sumus ipsius filii, ille verò pater noster benignissimus, qui nos per filii sui dilecti sanguinem redemit, & peccatorum sarcinis oneratos, Spiritus Sancti gratia regenitos justificat ac sanctificat, cujus sanctissimo nomini pro tantis beneficiis dignas ac debitas gratias referre non valemus; Ideò in hâc infirmitate pro nostris viribus B. opera, quibus sanctissimum ipsius nomen glorificatur, ei præstanda sunt. Uti Christus ipse monet Matth. V. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et suo ipsius exemplo Matth. xi. 29. nos allicit, *Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde.*

§. XXX. Quod proximum spectat, commendantur bona opera, ut nostris officiis pro virili eum juvemus, adeoque si res requirat, etiam animas ponamus pro fratribus, Luc. VI. 38. Tit. III. 14. Hic enim monet Apostolus, ut *discant nostri B. operibus præesse ad usus nec essarios, ne sint infrugiferi.* Deinde pro-

proximus nostris B. operibus motus ; & ipse quoque ad ea præstanda, & veram pietatem alendam instigatur. Philip. II. v. 15. I. Petr. III. v. 1. Porro, per bona opera vitamus scandala, Hebr. XII. vers. 15. *Considerate, ne quis desit gratia Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, & per illam inquinentur multi.* Denique per B. opera ac beneficia calumniatoribus os obturatur, dum vident, opera nostra ab impiorum factis esse aliena, & calumnias suas, quibus injustè nos prefferunt, cum pudore supprimunt, Tit. II. 7. 8. *In omnibus te ipsum præbe exemplum B. operum, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malè dicere de vobis.*

§. XXXI. Denique respectu nostri necessaria sunt B. opera, ut iis ostendamus, nos esse novam creaturam in Christo II. Cor. V. 17. nos spiritu Dei duci Deique esse filios, Rom. IIX. 14. ut spirituales hostias offerendo, nos veros Dei sacerdotes demonstremus, Rom. XII. 1. Deus enim credentium obedientiam propter filium recipit, & vocat sacrificia, hoc est opera, quibus indicat se honorari, & quæ ornat promissionibus præmiorum & spiritualium & corporalium, tam in hac, quàm in alterâ vitâ. Necessaria denique sunt B. opera, ne ea omittendo & malè agendo, fidem & Spiritum sanctum excutiamus & æternam damnationem incurramus. Rom. IIX. 8. 9. 13.

§. XXXII. Cum itaque tot modis necessaria sint B. opera, studium eorum in renatis ac per fidem justificatis urgendum atque inculcandum erit. Per istam autem necessitatem, quam renatorum B. operibus tribuimus, non intelligimus violentam quandam coactionem: hanc enim ipsa non agnoscunt. Interim tamen vocabulum necessitatis cum renatorum B. operibus subsistere posse, affirmare haud dubitamus, cum & Scriptura vocabulum hoc ipsis tribuat. Nam B. opera sunt necessaria ratione mandati, debiti atque ordinis divinitus instituti, non autem adiaphora vel arbitraria: Eadem autem sunt spontanea ac voluntaria, quia non ex coactione, sed ex libero & spontaneo spiritu proficiuntur.

§. XXXIII.

§. XXXIII. Hinc à nobis non tantum rejiciuntur illi, qui statuunt, B. opera renatis non esse necessaria, sed adiaphora atque libera, ita ut in eorum arbitrio positum sit, ea vel facere, vel omittere; Sed & isti, qui falsò nos accusant, quasi nostras Ecclesias à studio B. operum abducamus, eademque prorsus damnemus.

§. XXXIV. Quod ad illos attinet, qui B. opera in cuiuslibet arbitrio ac libertate posita esse statuunt, à B. Chemnitio *l. c.* multi enumerantur, ut sunt Simoniani, Carpocratiani, Eunomiani, Valentiniani, Libertini &c. Horum quidam ad nostrum seculum propius accedunt, quidam verò non. Hi docuerunt, renatos ad B. opera non esse obligatos, & nihil interesse, sive bona sive mala faciant. Sic refert Augustinus de Eunomio, corpore & animo leproso, à quo ejus discipuli Eunomiani dicti fuere, *heres. 54.* quòd usque adeò B. operibus fuerit inimicus, ut nihil unquam obesse quorumlibet perpetrationem & perseverantiam peccatorum, asseveraverit, si modo fidei, quam docebat, particeps esset. Sed opus non est, ut istos hæreticos fusè h. l. refutemus: ipsorum enim errores manifestissimis Scripturæ S. dictis, Bona opera seriò inculcantibus, adversantur. Illi verò, inter quos sunt Antinomi, B. operum necessitati aliquoties, B. Luthero adhuc vivente, se opposuerunt, sed cum confusione repressi & repulsi fuerunt. Hoc autem certamen tempore B. Chemnitii, ut ipse *c. l.* refert, per quosdam recrudit, qui non simpliciter tantum propositiones de B. operum necessitate improbarunt, sed excogitatis contumeliosis appellationibus, illas ex Civitate Dei proscripserunt. Nominarunt enim absurdum, perniciosum, turpissimum dogma, carnificinam conscientiarum, propositionem impropriad, notham, adulterinam, perniciosam, scandalosam, exitiosam conscientiarum piorum, impiam & blasphemam in meritum mortis & passionis Filii Dei. Quæ tamen hæresis divino auxiliante Numine à Nostratibus repressa ac orthodoxa sententia defensa fuit.

§. XXXV. Qui nostrates tanquam Bonorum operum
C pro-

prohibitores accusant, præcipuè (quod & supra tetegimus) sunt Pontificii, inter quos Bellarminus ferè primas obtinet, qui ut suis persuadeat, nos operum necessitatem negare, *l. IV. de justif. c. 1.* multa contra nos adfert argumenta, eaque citato loco quinque classibus includit. Quæ tamen ipsius calumnia non tantùm est inveterata, ut loquitur B. Gerh. *l. 6. cap. 8.* sed etiam mendacissima. Docemus enim fidem illam, quâ justificamur, esse efficacem per charitatem, tanquam fructiferam arborem, & cum studio B. operum perpetuò conjunctam, & hoc partim propter Dei mandatum, qui renatis nullo modo peccandi licentiam permittit; partim etiam propter largissimas promissiones & gravissimas pœnas, quibus ad B. operum studium invitantur atque impelluntur. Imò nec ipsis adversariis, quàm falsissima sit hæc calumnia, ignotum est: Interim tamen veritatis isti ofores venenata sæpius in sincera B. Lutheri scripta tela vibrare haud desinant, quorum tamen calumnias hîc enumerare, chartæ angustia prohibet. Remittimus autem B. Lectorem ad B. Chemn. & B. Gerhard. *ll. cc.* ubi istarum ordine enumeratarum refutationem videbit. Hoc tantùm repetere operæ pretium duco, quòd calumniarum iste conditor Bellarminus quibusdam in locis doctrinam nostram de justificatione per fidem absque operibus, cum maximè impiis & profligatissimis Simonianorum & Eunomianorum hæresibus comparet. Quæ autem eorum hæreses fuerint, ex veterum scriptis haud obscure patet. Quod si jam inter nostram & horum hæreticorum doctrinam comparisonem quis instituere vellet, deprehendet, hanc cum illa nihil prorsus commune habere. Sic Theodor. *l. 1. her. fab.* de Simone scribit: *Jubebat in se credentes non attendere Prophetis, neque legis minas pertimescere, sed tanquàm liberos facere quæ vellent, non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos salutem consecuturos.* Quis autem nostratium unquàm hoc docuit? Libertatem quidem Christianam defendimus, hòc ipsò autem obedientia legi præstanda non tollitur, sed potius stabilitur, ac confirmatur. De Eunomio August. *lib. de heres. ad Quodvult. 54.* ita: *Fertur etiam B. operi-*

bus usque adeo inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesse
quorumlibet perpetuitio ac perseveratio peccatorum, si huius, quae ab
illo docebatur, fidei particeps esset. Nos verò è diametro ipsi re-
pugnantem sententiam tuemur, dicentes, veram & salvifi-
cam fidem in Christum cum perpetratioe ac perseveratioe
peccatorum haudquaquam subsistere posse. Plura de eo-
rum hæresi possunt videri apud Irenæum, Augustinum, Ju-
stinum & alios.

§. XXXVI. Hoc est unum extremum, quod in doctrinâ
de B. operibus occurrere solet, dum nimirum quidam audi-
unt, hominem gratis unius Christi merito per fidem salvari,
existimant B. opera esse arbitraria, adeoque peccandi licen-
tiam pessimo exemplo inducunt. Sicuti nos à Pontificiis,
tanquam talia docentes, falsò insimulamur. Quidam verò
contra cum expendunt, quam seriò Deus in verbo suo stu-
dium B. operum à salvandis exigat, adeò ut neminem nisi
pietatis studiosum velit salvum, putant, nos non omninò
gratis, nec solius Christi, sed & nostro quodam merito salva-
ri. Quæ duo extrema in hoc articulo sedulò sunt cavenda.
Quod posterius attinet, dicimus nos tantum veram fidem
Christi meritum apprehendentem, non autem merita B. o-
perum ad justificationem & salutem esse necessaria, ut rectè
S. Bernardus inquit: *Via regni sunt, non causa re nandi.* Quam
sententiam hodiè oppugnant omnes iustitiani, qui in ope-
rum iustitia spem salutis fingunt, quos inter præcipui sunt
Pontificii.

§. XXXVII. Hi enim disertè docent, Bona opera ad
efficiendam & promerendam salutem esse necessaria, & esse
causas salutis. Ita enim scribit Bellarm. l. 4. de Justific. c. 7.
*Nos dicimus, opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem, non
solum ratione presentia, sed etiam ratione efficientia, quia efficiunt
salutem.* Quam quidem sententiam suam ibidem multis ar-
gumentis probare conatur. Sed ea planè non probant id,
quod ex mente Bellarmini probare debebant, ut quilibet,
qui ea perpenderit, me etiam tacente, facile videt, & Theo-

logi nostri dudum demonstrarunt. Videatur tantum B. Gerh.
Conf. Cath. l. II. part. III. art. 23. c. 6.

§. XXXVIII. Quod autem ipsam illam phrasin attinet, qua *Bona opera* dicuntur esse necessaria ad salutem, verum quidem est, quod dicit Nicolaus Selneccerus Theologus quondam Lipsiensis in *thesibus de controversis nonnullis articulis art. IV. thes. XXX.* Hanc formam loquendi extra controversiam multos etiam orthodoxos sine periculo usos aliquando fuisse in sano intellectu idem intelligentes, quod Paulus: *ore sit confessio ad salutem, sive futuram vitam.* Verum etiam est, quod scribit B. Chemnitius *part. III. LL. Theol. q. IV. c. 3.* Illam phrasin: *ad salutem, non semper significare causam, propter quam quis eam accipiat, sed ordinem Dei, quibus is gradibus salutem nostram perficiat, & quomodo aliud ex alio sequatur, seu, ut paulò post loquitur: ordinationem Dei, quã nos ad salutem adducit.* Attamen cum ob rationes gravissimas communi Ecclesiarum nostrarum consensu usus illius phrasin in *Form. Conc. art. IV. p. 590. & in sol. declar. art. IV. p. 704. 705.* sit interdictus, merito ab eo abstinemus, operam interim dantes, ut aliis loquendi formulis bonorum operum studium hominibus sedulò inculcemus. His enim postremis temporibus non minus necessarium est, ut homines ad rectè & piè vivendi rationem bonaq; opera invitentur atque moneantur, quàm necessarium sit, ut ad declarandam fidem atque gratitudinem suam erga Deum in B. operibus sese exerceant, quàm necessarium est, cavere, ne bona opera negotio justificationis admisceantur. Non minus enim homines Epicuram persuasionem de fide, quàm Pharisæica & Papistica fiducia in propria opera & merita, damnationem incurrere possunt, uti rectè monet Formula *Conc. art. IV. p. 591.* Quam ob causam eadem ibidem etiam repudiat & damnat nudam hanc & offendiculi plenam & Christianæ disciplinæ perniciosam phrasin, *Bona opera noxia esse ad salutem.* Et in *sol. declar. p. 708.* dicit, phrasi hanc: *B. O. sunt perniciofa ad salutem, ita nudè usurpatã disciplinam & morum honestatem labefactari, dissolutã verò & Epicureã ferã vitã januam aperiri & confirmari: Ab ea enim re, inquit, quã alicui ad auriã suã salutem perniciosã creditur, abstinendum & cavendum esse omnes judicant.* Cum verò Christiani à
bonis

bonis operibus non deterrendi, sed potius quàm diligentissimè ad ea
adhortandi sint: profectò nuda ista propositio in Ecclesia Christi to-
lerari non potest, nec defendenda est. Interim tamen monet, si
quis bona opera articulo justificationis immiscere, justitiam
suam aut fiduciam salutis suæ in ea reponere, gratiam Dei iis
promereri & per ea salutem consequi velit, tali homini ope-
ra sua non tantùm inutilia atque ad salutem impedimento,
verùm etiam pernitiōsa esse. Prudenter autem addit, *culpam
non esse Bonorum operum per se, sed vane fiducia, quæ contra expres-
sum Dei verbum in opera collocatur.*

§. XXXIX. Cæterum Pontificii non solùm B. O. ad sa-
lutem efficiendam necessaria esse clamant, sed & bona rena-
torum opera dicunt in hac vita esse perfectè bona, ita ut non
solùm legi divinæ plenè, cumulatè & perfectè satisfaciant;
Sed etiam iisdem vitam æternam ex debito promereantur.
Unde paucis ostendendum, utrumque errorem Scripturæ,
quàm piæ antiquitati è diametro repugnare.

§. XL. Priorem quod attinet, nempe bona opera re-
natorum in hac vita esse perfectè bona, ut legi divinæ plenè
& cumulatè satisfaciant, contrariam prorsus nos amplecti-
mur sententiam, & cum B: Gerh. c. l. dicimus, quod B. O. re-
natorum non assequantur perfectionem in lege divina præ-
scriptam, cum sint imperfecta, & iniquatione peccati for-
didata, adeo quidem, ut si Deus ex stricto justitiæ suæ rigore
in lege divina expressæ, eadem judicare velit, non modo pos-
sint ipsi non placere, sed etiam meritissimè repudiari, fide
autem in Christum illam imperfectionem tegi, & adhæren-
tes peccati sordes condonari. Pro hâc nostra sententia mi-
sitant tam Scriptura S., quàm dicta Patrum ac aliorum san-
ctorum, humillimè sua delicta & B. operum imperfectionem
deplorantium, Esa. LXIV. 6. dicit Propheta: *Facti sumus ut im-
mundi omnes, & omnes nostræ justitiæ sunt instar panni menstruata.*
Psalm. xxxii. 1. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum
retracta sunt peccata &c. vers. 6. pro hac remissione peccatorum ora-
bit ad te omnis sanctus.* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in iudicium
cum seruo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*



Job IX. 2. c. v. 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis & putridus homo, qui iniquitatem velut aquam bibit.* Psalm. CXXX. 2. *Si iniquitates observaveris, ô Deus Domine, quis sustinebit?* I. Cor. IV. 4. I. Reg. IIX. 46. *non est homo justus, qui faciat bonum & non peccet.* Prov. X. 9. *quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Dicta Patrum idem sentientium, haud rarò occurrunt. Sic pulcherrimè sonant verba August. lib. II. de nat. & gratia. cap. 36. *Si omnes sanctos & sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellentia sanctitatis; si hoc interrogari potuissent, unâ voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cyprian. *in serm. de Eleem. sine aliquo conscientie vulnere esse non possumus.* Lactant. lib. VI. instit. c. 13. *Nemo sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est.* Hieron. *in cap. VII. Eccl. opera quia per corpus administrantur, aliquo semper errore commixta sunt.* August. Epist. 29. *ad Hieron. Plenissima charitas, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est, qui faciat bonum & non peccet.* Idem lib. 9. Confess. c. 13. *Væ hominum vitæ quantumvis laudabili, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Ad quæ verba dicit B. Gerh. l. c. *At si laudabili hominum vitæ æternum Væ, hoc est, condemnatio debetur, si districto Dei judicio remotâ misericordiâ discutiatur, quomodo renatorû B. opera non erunt immunda & imperfecta? Si nemo est liber ab actualibus, venialibus peccatis, quomodo perfectio actualis justitiæ locum habebit? Si in judicio Dei ipsi renati misericordiâ indigent, quomodo ipsorum opera ex condigno merentur coronam justitiæ?* Radulphus *in Levit. lib. I. c. 1. Vix bonum opus compleri potest sine alicujus peccati admixtione.*

§. XLI. *Hæc tam Scripturæ, quam Patrum clarissima dicta Bellarminus variis modis arrodit, putatque ea tantum de insignibus peccatoribus, non autem de renatis ac sanctis hominibus intelligenda esse. Verum dicta hæc nimis sunt generalia, ut sine ullo discrimine ad omnes homines sese exten-*
ten-

tendant. Interim tamen manet discrimen inter peccata & B. O. Neque enim dicimus, B. O. esse formaliter peccata, sed peccatis contaminata, propter imperfectionem & immunditiam adhaerentem. Ista verò immundities ac imperfectio propter Christum verâ fide apprehensum ex gratiâ & misericordiâ Dei renatis non imputatur. Vel, uti B. Chemn. dicit: Quod perfectioni deest, & sordes, quæ ex lege peccati in membris asperguntur, malum idem quod adjacet, fides petit propter Christum tegi & non imputari.

§. XLII. Andradius, ut ex Chemnitii Examine Conc. Trid. Tit. de bonis operibus q. 3. liquet, firmissima quædam fundamenta seu axiomata, pro imperfectioe B. operum à nostratibus posita, admisit & approbavit; (1.) est: *Novitatem seu sanctitatem, quæ in renatis per Spiritum S. inchoata est, in hac vita non esse perfectam & absolutam.* Est enim & manet renatis in hac vita novus & vetus homo, caro & spiritus, lex mentis & lex peccati, & interior homo de die in diem renovatur. (2.) *Præceptum charitatis de diligendo Deo ex toto corde, tota anima, tota mente & omnibus viribus, item ultimum præceptum, non concupisces, in hac vitâ non posse à quoquam perfectè impleri, quamdiu est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, & quamdiu corruptibile istud incorruptionem non induerit.* (3.) *Propter carnem, in qua non habitat bonum, sed malum, quod volenti bonum facere adjacet, & propter legem peccati in membris renatorum, quæ repugnat legi mentis, neminem renatorum in hac vita esse sine peccato.* Rom. VII. 21. seqq. *Peccatum verò juxta Ambrosium est prævaricatio legis divinæ.* (4.) *Paulum expressè dicere Rom. VII. v. 18. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Philip. III. 12. Non quod jam apprehenderit, aut perfectus sim.* Hæc inquam, axiomata Andradius, teste Chemnitio, admisit & comprobavit: Et tamen simul etiam Pontificiam defendit sententiam, Legem nimirum divinam à renatis in hac vitâ plenè & perfectè servari & impleri posse.

§. XLIII. Alii autem Pontificii hæc fundamenta iisque innixam nostram sententiam multis modis impugnant. Imprimis verò Bellarm. l. IV. de Justific. c. 10. Primum hanc

nobis tribuit sententiam, quod doceamus, legem divinam esse planè impossibilem homini etiam justo, ac nullam in nobis esse veram actualem justitiam, sed omnia opera justorum esse mortalia peccata ex natura sua. Verùm hanc sententiam ipse nobis vel ex pura putà calumnia affingit, siquidem non docemus, impletionem legis ita esse impossibilem, ut qui per spiritum renovationis renati sunt, nec possint nec debeant in hac vita inchoare obedientiam legis. Neque etiam negamus, novam renatorum obedientiam esse quandam justitiam, hoc enim modo evidentissima Scripturæ S. dicta everteremus. Nam Luc. I. 74. seqq. dicitur: *Liberati de manu inimicorum, serviunt Deo in sanctitate & justitia.* 1. Joh. III. 7. Hanc autem nostram justitiam perfectam non dicimus, ita ut coram Dei judicio subsistere, nosque coram Deo justificare possit. Sed ut rectè Bernh. de verbo Esai. serm. 5. col. 250 inquit: *Nostra si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura;* vel ex mente Nostratium malè perceptà eandem nobis tribuit. B. Lutherus quidem scribit in assertione art. 31 in omni opere justus peccat. art. 32. *Opus bonum optimè factum est mortale peccatum secundum judicium Dei.* art. 33. *Justus in omni bono opere peccat mortaliter.* Sed his verbis, ad quæ digitum intendit Bellarminus l. c. bona opera non dicuntur à Luthero formaliter & sua natura peccata, sed secundum quid & certo respectu, quatenus scil. sunt adhuc imperfecta, & quatenus à reliquiis peccati in carne adhuc hærentibus contaminantur, unde non possunt rigorem legis & justitiæ divinæ sustinere, si districto Dei judicio, remotà misericordiâ examinandæ essent. Inde signatè dicit Lutherus, justum in omni opere bono peccare. Non dicit, justum omni opere bono peccare, sed in omni opere bono peccare, eo ipso satis manifestè declarans, quod non bona opera, sed aliquid iis adhærens sit peccatum, uti dudum mentem optimi Lutheri optimè expressit B. Gerhardus in Conf. Cathol. l. II. part. III. art. XXIII. c. 6. p. 771. 772.

§. XLIV. Deinde Bellarminus, dum suam sententiam nostræ subnectit, dicit l. c. Catholicos omnes summâ consen-



ensione docere (1.) legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrii, sed per auxilium gratia Dei & Spiritum fidei & charitatis in ipsa justificatione infusum; (2.) opera justorum esse simpliciter & absolute justa, & suo etiam modo perfecta, quamvis non ea perfectione quin crescere possint, & quin operibus bonis admisceantur interdum aliqua opera mala, non quidem mortifera, sed venialia, quae non impediunt, quo minus iusti maneant, qui iusti erant. (3.) operibus justis hominem verè justificari, non primà, sed secundà justificatione, quae non facit justos ex impiis, sed iustiores ex iustis. Hæc ille.

§. XLV. Quod (1) dicit: legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, non per solas vires liberi arbitrii, sed per auxilium gratia, probat id præcipuè ex Matth. XI. 29. ubi Christus dicit: *jugum meum suave est, & onus meum leve*. Hinc enim ait sequi, quod non solum possibile, sed etiam facilia sint mandata. At enim verò, licet concederemus Bellarmino, per *jugum & onus Christi* præcisè hinc ejus mandata intelligi, tamen si statum controversiæ quis attendat, videbit facile, frustrà locum hunc Matthæi nobis opponi. Neque enim inter nos & Pontificios quæstio est, an renati aliquo modo & certo respectu possint implere legem Dei, sed an perfectè eam implere possint. Ipsi namq; libenter concedimus, renatos per gratiam Spiritus S. posse implere legem Dei, ea impletione, quam Deus ab ipsis exigit & quæ contentus esse vult. Non autem Deus à renatis tam rigidè exigit perfectam legis impletionem, sed contentus est imperfectâ & inchoatâ legis impletione, quicquid autem imperfectionis & imbecillitatis renatis adhæret, id ipsis ex gratiâ condonat, propter fidem in Christum. Et hoc modo præcepta Dei non sunt gravia, sed *lex fieri potest, cum contingit Spiritus S.* ut habent verba Apologiae A. C. de dilectione & impletione legis p. 84. Negamus autem ex hoc loco sequi, quod renati etiam perfectè legem Dei implere possint, & quidem ita, ut non solum ea, quæ Deus in lege præcepit, sed & plura alia, quæ non præcepit, facere possint.

§. XLVI. (2) Alterum Bellarmini assertum quod at-

D

tinet,

tenet, quo statuit, opera justorum esse simpliciter & absolutè
justa & suo etiam modo perfecta, quamvis peccata quædam,
nempe venialia, iis sint admixta, nititur illud falsâ ejus hypo-
thesi, quod peccata venialia sint naturâ suâ venialia, & quod
eadem non sint peccata simpliciter, sed imperfectè & secun-
dum quid, neque sint contra legem, sed præter legem, ut vi-
dere est ex Bellarm. l. IV. de justif. c. 14. Qua de re latius in
loco de peccato agi solet.

§. XLVII. Quod denique (3) concernit, hominem scilicet
operibus justis verè justificari, non primâ, sed secundâ ju-
stificatione; paucis respondemus, nos in articulo justificati-
onis hominis peccatoris coram Deo non agnoscere justifica-
tionem aliquam secundam, sed unam tantum, quæ consistit
in remissione peccatorum, de qua Paulus ex instituto agit
Rom. III. 24. 28. c. IV. 2. sqq. c. XI. 6. Gal. II. 16. & merita
operum disertè excludit, ut in loco de justificatione pluribus
demonstratur.

§. XLVIII. Quod *posterius* attinet, quando nempe
Pontificii docent, renatos suis operibus verè promereri non
tantum spiritualia & corporalia præmia, sed ipsam etiam vi-
tam æternam, quæ tanquam merces bonis renatorum operi-
bus reddenda sit, idque non ex gratiâ, misericordiâ & pater-
na liberalitate patris cœlestis, sed ex debito, quia renatorum
B. operibus nihil desit, quo minus legi divinæ pro hujus vi-
tæ statu satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse cen-
seantur. Hoc quoque assertum gravem inter nos & ipsos
parit controversiam. Nos quidem non negamus, quod no-
bis benè operantibus in scripturis tam V. quam N. Testa-
menti promissa sint præmia, spiritualia nempe & corporalia,
eaque vel essentialia seu generalia, vel accidentalia, seu sin-
gularia, tam in hac, quam in altera vita. Benè autem mo-
net B. Chemn. l. c. quando ait: *Remissio peccatorum, reconcilia-
tio cum Deo, adoptio, salus & vita æterna non pendent ex nostris me-
ritis, sed donantur gratis propter meritum & obedientiam filii Dei,
& fide accipiuntur. Sed in reconciliatis postea B. Opera cum pla-
ceant fide propter mediatorem, habent præmia & spiritualia & cor-
pora.*

poralia in hac & post hanc vitam, idque ex gratuita promissione di-
 vina, non quod Deus propter perfectionem & dignitatem nostrorum
 operum sit debitor, sed quia ex misericordia & paterna liberalitate
 propter Christum promisit, se premiis ornaturum, quamvis inchoa-
 tam, languidam, imperfectam & immundam filiorum suorum in hac
 vita obedientiam. Et illa promissiones debent in renatis excitare
 studium bene operandi, inde enim intelligimus, quàm grata Patri cœ-
 lesti sit filiorum qualiscunque illa, quam Spiritu S. ducente in hac vi-
 ta sub hoc corruptibili onere inchoant, obedientia, ut quam premiis
 spiritualibus & corporalibus, quæ sua dignitate non meretur, ex gra-
 tia & misericordia propter filium ornare velit. Et in hanc senten-
 tiam nostri etiam à vocabulo meriti non abhorrent, sicut etiam Pa-
 tribus usitatum fuit. Premia enim promittuntur ex gratia & mi-
 sericordia, non tamen dantur otiosis vel malè agentibus, sed laboran-
 tibus in vineâ Domini. Atque ita in Apol. Aug. Conf. in Confess.
 Wittenberg. & in aliis nostrorum scriptis usurpatur vocabulum me-
 riti. Hæc B. Chemnitius.

§. XLIX. Hanc nostram assertionem comprobant
 non solum ipsius Scripturæ S. sed etiam passim Patrum cla-
 rissima dicta. 1. Tim. IV. 8. dicitur, Pietas ad omnia utilis est,
 habens promissiones & hujus & future vite. Tit. III. 5. Non ex o-
 peribus justitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam
 salvos nos fecit. Hebr. VI. 10. Non injustus est Deus, ut oblivisca-
 tur operis vestri & dilectionis, qua ministratis sanctis. Rom. IIX. 34.
 Paulus in quæstione: Quis accusabit? quis condemnabit? in-
 terponit non merita suorum operum, sed Christus, inquit, mor-
 tuus est, imò resuscitatus, & intercedit pro nobis. 1. Joh. II. 1. 2. Si
 quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum,
 justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Imò tota scri-
 ptura plenissima est talium sententiarum. August. de gratia &
 Lib. arbitrio, loquens de operibus sanctorum post justificati-
 onem: Non meritis nostris Deus nos ad vitam æternam, sed pro
 suâ misericordiâ perducit. Bernh. Necesse est primò credere, quod
 remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei:
 Deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dede-
 rit ipse. Postremò, quod vitam æternam nullis potes operibus prome-
 reri,



veri, nisi gratis detur & ipsa. Et rationem addit: quia si bene cogitare volueris, inuenies procul dubio, quod nec cum decem millibus possis occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad te. Pontificii verò suum calculum huic nostræ sententiæ addere prorsus detrectant, dicentes, B. O. renatorum verè promereri vitam æternam. Atque ita Scholasticorum commenta de merito condigni simpliciter repetunt atque stabiliunt, quæ paucis h. l. attingemus.

§. L. Meritum verò operum juxta ipsos est duplex: Unum de condigno, alterum de congruo. Illud est, cui ex condigno seu ex iustitia debetur retributio seu merces. Hoc est, quod quidem ex iustitia non meretur recompensationem, sed tamen ex quadam congruentia sive honestate. De hoc posteriori non est opus disputari, ut sonant verba Becani, Tom. I. opusc. 7. Nam de eo nihil certi affirmare possumus, cum nobis sæpe aliquid congruum videatur, quod Deus remuneret, Deo tamen aliæ sunt rationes, ob quas id congruum non est.

§. LI. Meritum verò de condigno ipsi acriter propugnant, docentes, bona fidelium opera mereri salutem sive vitam æternam ex condigno. Et ad illud ut sit meritum de condigno, Becanus in Opusculo de B. O. ex sententia Catholicorum quinque requirit conditiones. (1) ut sit opus bonum (2) ut sit opus liberum (3) ut opus illud procedat ab homine viatore. (4) ut opus illud procedat ab homine existente in statu gratiæ & amicitia Dei. (5) ut intercedat pactum & promissio Dei de compensatione sive retributione facienda. Et quia opera renatorum talia sunt, concludunt, ex iustitia ipsis deberi præmium & mercedem.

§. LII. Sed Becanus in allegandis meriti de condigno conditionibus, omittit quod non omittendum erat, siquidem ad opus, quod debet propriè meritorium esse de condigno, non tantum illæ prædictæ conditiones, sed etiam aliæ adhuc requiruntur. Requiritur autem (1) ut non sit debitum, seu ex debito præstetur, (2) ut mercedem æquet, ita ut unum alterum non excedat. (3) requiritur ut merces, quæ propter opus persolvitur operanti, præcisè ex iustitia detur, non

non verò ex gratiâ vel liberalitate. At verò B. operibus omnia hæc requisita defunt. Nam (1) opera nostra debita sunt, si autem debita sunt, non sunt meritoria, docente Christo Luc. XVII. 7. sq. (2) Inter opera nostra & præmia divina nulla est æqualitas, nulla proportio, siquidem *passiones nostræ non sunt dignæ futurâ gloriâ, quæ manifestabitur in nobis*, docente Paulo Rom. IIX. 18. (3) denique, quæ Deus nobis benè operantibus retribuit, non tribuit nobis ex justitiâ, sed ex merâ gratiâ & misericordiâ suâ, passim inculcante scripturâ.

§. LIII. Faceffat igitur pharisaica vox Petri à Soto scribentis, B. operibus, quæ ex gratia fiunt, ita esse fidendum, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam & vitam æternam consequendam necessaria sint & utilia: Et si aliquid his inferius retribueretur, non esse verum & proprium B. operum præmium. Faceffat impia vox Andradii Concilii Tridentini præsidis, dictitantis, non minus sempiternam felicitatem justorum esse præclaris operibus debitam, quàm æternos cruciatus impiorum sceleribus. Item, vitam æternam ita esse bonorum operum retributionem, ut non tam gratis & liberaliter à Deo conferatur, quàm debita sit bonis operibus.

§. LIV. Ut verò crassissimum hunc suum errorem aliquo modo mitigent, dicunt, bona renatorum opera illam vim meritoriam habere à Dei gratiâ & Jesu Christi merito & virtute illa, quam Christus tanquam caput in membra & tanquam vites in palmites in ipsos justificatos jugiter influit, sine hac autem nullo pacto Deo grata & meritoria esse posse, ut loquitur Concil. Trid. *sess. VI. de justificatione cap. 16. & can. 32.* Sed quo Scripturæ loco, quo apice probabunt, gratiam Dei & meritum Christi & virtutem, quam Christus in justificatos influit, bonis operibus conferre ejusmodi vim meritoriam, quâ etiam de condigno mereri possint vitam æternam?

§. LV. Pontificii quidem ut meritum B. operum defendant, identidem ingeminant illa Scripturæ loca, in quibus *vita æterna merces vocatur*, ut Matth. V. 12. Sed ne plura nunc brevitatis studio moneamus, sciendum, quòd voca-

bulum mercedis in ejusmodi locis improprie accipiatur, non pro mercede, quam Deus ex justitia nobis debeat, & nos proprie nostris operibus simus promeriti, sed pro gratuito premio, quod Deus nobis bene operantibus ex mera gratia & liberalitate promisit, ut ita non sit proprie merces justitiae sed merces gratiae. Vel uti habet Aphorismus Patrum de Justificatione: *Vitam aeternam mercedem esse, sed gratuitam.* Hilar. Comment. in Matth. can. 20. *Merces quidem ex dono nulla est, quia debetur ex opere, sed gratuitum Deus omnibus ex fidei justificatione donavit.* August. Tom. X. oper. lib. Homil. 50. hom. 14. col. 444. *Si debita redderentur, supplicium redderetur.* Et col. sq. *Cum ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua.*

§. LVI. Deinde pro sua sententia scripta Patrum, saepius vocem *meriti* & *merentis* adhibentium, urgent. Sed bene observandum, Patres voces illas adhibuisse quidem, ita tamen exposuisse, ut opera nihil mereantur, & salus divinae gratiae in solidum tribuatur. Causam autem, cur illis vocibus usi fuerint Patres, B. Meisn. part. 2. Phil. sobr. sect. 1. quest. 33. ut & B. Horn. disp. IV. §. 212. reddunt hanc: Quod declinante latinae linguae puritate, circa annum 200. Domini valde frequens coeperit esse scriptoribus Ethnicis etiam verbum merendi, in ea significatione, prout simpliciter significat aliquid consequi, sive gratis, sive ex debito. Unde factum, ut omnia officia pietatis & humanitatis, quae gratis compensantur, κατὰ χριστιανὸς appellata sint merita.

§. LVII. Nos itaque inanibus hujusmodi Pontificiorum de B. operibus jactationibus posthabitis, humillime cum omnibus Sanctis nostrorum operum imperfectionem ac immunditiam agnoscimus, quibus Deus ex justitia nec ullum premium conferre tenetur; sed omnia dona, quibus nos Deus & in hac, & in futura vita afficit, ex gratuita ejus misericordia propter Christum, proficisci dicimus. Cujus rei Scriptura S. incorruptus est testis. Nam Esa. LV. 1. Deus per Prophetam sic alloquitur populum Israëliticum: *Omnes sitientes venite ad aquas, & quibus non est argentum, venite, emite & comedite, emite absque argento & absque precio vinum & lac.*
Huic

Huic dicto confinis est illa formula orationis, quâ utitur
Propheta Daniel, c. IX. 18. *Non in iustitiis nostris prosternimus
preces nostras coram te, sed in miserationibus tuis multis. Domine,
exaudi, Domine parce propter te metipsum, Rom. IIX. 8. dicit
Paulus: Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram
gloriam, quæ revelabitur erga nos. Tit. III. 5. Non ex operibus
iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam salvos
nos fecit.* Cum itaque tam manifesta, tamque clara ipsa
Scriptura S. nobis testimonia suppeditet, quibus nostram
sententiam stabilire possumus; Ideo sine prægnante ac ur-
gente necessitate, qua Pontificii destituuntur, eam deserere,
prorsus iniquum ac nefas esse existimamus.

§. LVIII. Quamvis verò nonnulli Adversariorum, ut
operibus suis magnum addant pondus, admodum sint ope-
rosi. Extra hos tamen non pauci, luce hujus cœlestis veri-
tatis convicti, etiam in ipsis Papatus tenebris, præsertim in
agone mortis constituti deprehenduntur, qui apertè B. ope-
ra salutem de condigno mereri negarunt. Quos inter
Durandus, Gregorius Arimin. Jacobus de Alta Villa. Sic
Gerson *in hortulo anime* recenset hanc preceationem moritu-
ris recitandam: *Deus meus piissime pater, miserere mei. Domine* u
paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum, sed in u
virtute & efficacia benedictissime tue passionis, per quam me mise- u
rum redimere voluisti, & mihi paradisum precio tui sanguinis emere u
dignatus es. Georgius Cassander in Consult. art. 6. ex Adriano de
Trajecta in lib. 4. sent. hoc allegat: *Sunt merita nostra sicut bacu-*
lus arundineus, cui dum quis innixus fuerit confringit, perforat ma-
num innitentis. Quæ igitur ex eis poterit esse fiducia apud Deum, qui
neminem diligit, nisi ex toto corde conversum? Maximil. II. Impe-
rator laudatiss. cum in agone mortis constitutus esset, atq;
ad ipsum Episcopus Neapolitan. D. Lambertus Gruterus 12.
Octobr. anno 1576. accederet, noluit eum ad se intromitti,
nisi prius polliceretur, *se de nullâ aliâ re verba facturum, quàm*
de Christi merito & sanguineo ejus sudore, præstitit illud Episco-
pus, & de Christi beneficiis elegantem & plenam consolati-
one habuit orationem. Cum Maximilianus interrogare-
tur,

lib.



tur, an in hac fide & consolatione velit ex hac vita discedere? Respondit: *non aliter faciam.* Landsberg. in *Enchir. mil.*
Christ: Non cogites, te pœnitentiæ opera facturum pro peccatis tuis, hæc enim opera tua, quantula putas sunt ad tot peccatorum acervos? Omnia opera tua cogita minora, quàm ut satisfaciant pro peccatis tuis. Etiam multi magni nominis Pontificii, post habitam TridentiSynodum tutius judicarunt, relictis operum meritis ad solius Christi meritum se recipere. Andreas Vega, qui concilio interfuit, ingenuè ait: *Non oportet quenquam in suis meritis fiduciam Beatitudinis collocare,* Tract. de Justif. in Opusc. q. IV. Imo ipso Bellarm. lib. V. de Justif. c. 7. docet, propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ, tutissimum esse, *fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.* Et cap. 6. sub finem scribit, quod *vera humilitas merita propria ignoret.*

§. LIX. Hisce, inquam, & multis aliis laude dignis confessionibus Pontificiorum scripta passim plena sunt. Unde patet, aliter eos in scholis disputare; aliter verò cum ad serium in agone certamen devenitur, in ipsa praxi sese gerere. Tunc enim eorum multi non nisi ad Dei misericordiam & ad Christi meritum devotis precibus, verbisque admodum religiosè conceptis, confugiunt. De quo ipsis magnopere gratulamur & in cæteris quoque sanam mentem animitùs apprecamur.

§. LX. Nunc autem cum S. Augustino ex *manual. c. 22.* concludimus: *Tota spes mea est in morte Domini mei, Mors ejus meritum meum, & refugium meum, salus, vita & resurrectio mea, meritum meum miseratio Domini.* Non sum meriti inops, quamdiu ille miseracionum Dominus non defuerit. Et si misericordie domini multa, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.

FINIS.

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022




Ruhr

Vb 17



DISPUTATION
D. ECCLESIAE





18.

DISPUTATIO THEOLOGICA.
De
**BONIS OPE-
RIBUS,**

Quam
A. D. O. M.
SUB PRÆSIDIO
VIRI
PL. REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
DN.
**SEBASTIANI NIE-
MANNI, SS. THEOL. D. & Prof.**
PUBL. Dn. Patroni ac Præceptoris ætatem
colendi

In Illustri Academia Salana
Publico Eruditorum examini sistit
LUD. CHRISTOPHORUS Engelbrecht
Francohusa - Thuringus
AUT. & RESP.
Ad diem Julij Anno M. DC. LXV.
In Auditorio Theologorum
Horis consuetis

JENÆ,
Typis JOHANNIS WERTHERL

